





BREVIS NARRATIO

DE ANTISTIBVS, QUI QVINQVAGINTA ANNORVM SPATIO
IN SAXONIA MVNERIBVS SACRIS FVNGEBANTVR,

QVA

VIRO SVMME REVERENDO AMPLISSIMO
EXCELLENTISSIMO

M. IOANNI THEODORO
LINGKIO

SACRORVM ANTISTITI TORGAVIENSI ET
EPHORO LYCEI SPECTATISSIMO

M V N V S

SACRVM PER QVINQVAGINTA ANNOS
FELICITER ADMINISTRATVM

TRES ORDINES
LYCEI TORGAVIENSIS SVPERIORES,

PIE GRATVLANTVR

INTERPRETE

HENRICO AVGVSTO IAHN

FRIBERGENSEI.

TORGAVIAE

EX OFFICINA KVRZIL.



DRIVIS NARRATIO
ALMA MATER WILHELMI WILHELMII
M. JOHANNI THEODORO
LINGKIO

STABILIUM AMPLIUM
SACRAMENTUM QUINQUAGESIMO ANNO
KILIIENSIUM
HEREDICUM



VIR SVMME VENERANDE,
AMPLISSIME, EXCELLENTISSIME,
PATRONE OPTIME!

Sicut in vniuersum magna senectuti dignitas debetur, quae per longum vitae spatium, ingenti rerum gestarum copia, cognitionem affecta est certissimam atque experientia gaudet ad communem humanae societatis saluam utilissima: ita inprimis senex ille splendet, cuius vita quam plurimis praeclare factis vberissima extitit, atque recordationem ei integritatis in multis vitae casibus probatae parauit. Talem TE veneramus senem, EPHORE LYCEI NOSTRI SPECTATISSIME, qui senectutem attigisti, non modo felicissimam sed meritis quoque maximis insignem. Profecto enim nulla agendi ratio, cui vitam consecrare licet, tantam Dei gratiam atque benevolentiam hominibus comparat, tantis eos cumulat meritis, cum in hac terra, tum post mortem etiam aliquando compensandis, tantamque in consuetudo rerum humanarum ordine affert utilitatem, quantis et meritis et commodis munus illud sacrum gaudet, quod in animis nostris praeceptorum diuinorum doctrina imbuendis, instituendis et emendandis est positum. Illo igitur munere iam quinquaginta annos, quae maxima est Dei benignitas, TIBI ita fungi contigit, ut innumeros tanto temporis interualla instituere, ad veram salutis viam perducere, a vitiis auocare, ad officia vitae necessaria adhortari, in vitae miseriis consolari, et varia cum sapientia tua auctoritate TVA adiunare studeret. Quam iucunda vitae olim transactae recordatio iam animum TVM recreat! Quantis nunc honoribus, in tanta rerum gestarum laude, dignus haberis, et quam rara est illius dicelebratio, quo TE nunc exhiberari impense TECVM laetamur! Eo feliciorum nunc TE existimamus senectutis laudatae ornamentis, quo paucior

VIR SVAMME VENERANDI
AMPLISSIME EXCELLENTISSIME
PATRONE OPTIMI

res illam vitae metam attigerunt, qua ipsi splendido muneris sacri tot
annis administrati honore ornari licuit. Quo quidem consilio Antistitum
numerum, qui doctrinam diuinam per quinquaginta annos in patria no-
stra tradiderunt, ex quo sacra Christiana Lutheri opera inter nos emen-
data sunt, computare breuissima narratione instituimus; quam quidem aequi
bonique consulas, Communitonum meorum nomine susceptam, vt splendidum
illum felicissimae senectutis honorem, omni, qua decet, pietate TIBI gra-
tulareremur. Nihil magis optamus ex animi nostri sententia, quam vt plu-
rium adhuc amorum cunulus vegetae senectuti TVAE accedat, et amplissi-
mis integerrimae vitae praemiis, cum ad TVAM, tum ad TVORVM
atque ad nostram quoque laetitiam magis magisque augendam quam diuif-
sime orneris. Fauere nobis, et TVO in posterum patrocinio complecti
pergas

AMPLISSIMO NOMINI TVO

Torgauiae, maxime addictum
d. XIII Decembris
Henricum Augustum Tabn.
A. clo. lxxxv.

M. TOBIAS BEUTHER natus est Annabergae Ao. 1535, patre Georgio Beuthero, metallicorum cohortis praefecto et senatore. Qui antea iam Roehmihildo inde ob fidem religioni suae praestitam, exul factus, Annabergam se contulerat, ubi eadem fere fata eum manebant. Filius, cultis literis in Schola, quae Misniae floret, prouinciali, sub auspiciis Georgii Fabricii, a. 1555, Academiam Lipsiensem frequentare coepit, ubi Ioachimi Camerarii contubernio usus est ac familiaritate. Auocatus inde a. 1565. Liebenwerdam, ut Scholae illius oppidi praeesset, ibidem a. 1573. munere Diaconi et a. 1575. Pastoris et summi sacrorum antistitis ornatus est. Postea eligebatur Dresdae a. 1586. concionator aulicus, donec a. 1589. delatum ei est Pastoris et summi sacrorum antistitis munus inter Torgauenses, quod etiam usque ad mortem, quam obiit d. 9. Iul. 1620, summa fide atque integritate administrabat.

Vid. Dietmanns sächsische Priesterschaft. B. 4. S. 740. Gleichenii Annales Eccles. P. I. p. 381.

M. VALENTINUS BRUNO oriundus est Dobelia, sed de eius parentibus nihil certi constat. Cum Vitebergae literis

daret operam, D. Lutherus eum sibi famulum elegit. Nam et huius et Melanchthonis familiaritate maxime utebatur. Inde Erfurtum a 1533. munere magistri Scholae functurus migrabat. Sed a 1538 Vitebergam redux factus literarum studia continuauit, et a 1542. Diaconi dignitate Ossitium euocatus, a. 1545. munere Pastoris Dobeliensis et a. 1559. summi sacrorum antistitis in templo episcopali Wurzenae fungi coepit. Obiit d. 26. Iulii a. 1598, matrimonii liberis foecundi felicitate, exhilaratus, anno aetatis centesimo et tertio.

Vid. Diernann. l. c. B. 5. S. 683. Schbtgen. Historie von Wurzen. S. 294. Frenkel. Dypticha Ossitienf. p. 287.

HERMANNUS FREDERICUS BRAUNS, natus d. 16. Sept. a. 1673. Magdeburgi, patre usus est Conrado Brauns, qui ibidem a secretis erat Collegii, quod cathedrale vocant. A. 1689. Scholam templi cathedralis frequentare coepit, et inde a. 1697 in Academiam Lipsiensem se contulit. Ao. 1702, depositis, ut fieri solet, tirocinii rudimentis, receptus est in conuentum monasterii Bergensis, ubi omnibus quidem defunctus Scholae praeceptorum muneribus, a Collegio cathedrali Magdeburgico Pastor et praeco doctrinae diuinae Ammendorfii, Beeseni et Plannennae est creatus, et deinde a. 1710. Pastor primarius Wetini ac sacrorum praepositus Dudelebiae, donec a. 1726. Cloedeni sacris dignitate antistitis praeficeretur, qua eum adhuc ao. 1755. gauisum esse, certe constat.

Vid. Diern. l. c. 4. B. S. 228.

M. BALTHASAR CADEMANNUS in lucem editus est a. 1733. Orrandiae. A Patre, qui lanificio sibi victum parabat, in Scholam Misenensem missus Georgii Fabricii ductu literarum studiis incubuit. Peractis quatuor annis inter Academiae Lipsiensis ciues receptus, paullo post transiit Vitebergam. Inde discessit Liebenwerdam, a. 1753. munere Rectoris functurus et a. 1757. Budissam, ut eius urbis Scholae praeesset, ubi eum officii Scholae Rectoris per sex annos incumbentem, calumniae infidiaeque cogebant munere illo se abdicare et biennio toto priua-

tam agere vitam. Cum autem a. 1565. Diaconi dignitate in patriam rediret urbem, anno sequenti Pastoris munus Langhennersdorpii ei est delatum, quod per octo fere annos administravit. Quem deinde a. 1567. sacerdotem Chemnitii, in Bohemia sibi, constitutum, a. 1576. Ioannes Georgius comes de Mansfeld sibi concionatorem elegit priuatum. Mox autem Augustus Elector princeps Saxoniae, a. 1579. eum sacerdotem creauit aulicum, cuius fauore et gratia maxime fruebatur. Quo mortuo inuitus, occultis Caluini asseclarum machinationibus, ab aula remotus, et sacrorum antistes Pirnam missus est. Vbi insidiae illorum nondum cessabant. Quippe cum sacerdotibus omnibus, qui eius curae commissi erant, Christianum II. principem Saxoniae Electorem supplices adire ausus, ne rogationi de exorcismo abrogando subscribere cogerentur, Nicolai Crellii, Palatii Quaestoris, iram tam vehementer in se concitauit, quamquam illo alias familiariter utebatur, ut munere statim priuaretur, ex illa urbe discedere coactus. Ceterum Crellius conata eius ea de causa tam aegre tulit, quia princeps tum primum animaduertere coepit, se ab amicis suis clam Caluino adficientibus esse deceptum, qui ei de cupiditate exorcismi tollendi, qua omnes Saxoniae ciues et sacerdotes flagrant, persuaferant. Qui vero cum praecipis verae religionis fidem praestando, illius consiliis acriter resisterent, suspicati, sensim sensimque Caluini erroribus religionem corruptum iri; noster quidem Cademannus fortunae externae splendorem amittere, quam mentem recti consciam inquinare maluit. Defuncto autem principe, quod eodem adhuc anno accidebat, eidem munus suum est redditum. Neque tantum ad mortem usque retinuit, sed in illo etiam administrando a. 1605. socium sibi filium adiungendum curauit. Defunctus est d. 17. Octobr. a. 1607. festo die muneris ante quinquaginta annos suscepti non sine laetitia celebrato.

Vid. Diem. l. c. B. I. S. 1035. Willich. Memoriae Superintendentum Pirnensium. Annabergae, 1712.

D. IOANNES CLODIUS patriam urbem colebat Neo-

stadium prope Stolpenam situm, vbi a. 1647. d. 17. Aug. est natus, patre Ioanne Clodio Archidiacono eiusdem loci. Vitebergae primo quidem literis incubuit. Qua in Academia initio sedem figere volebat, sed a. 1675. sacris praepositus est Schliebenj. Deinde a. 1691. munus summi sacrorum Antistitis in Haynae vrbe auspicatus est, quod vsque ad annum 1733. retinuit, d. 14. Iunii mortuus.

Vid. Dietm. 1 c. 1. B. S. 609. Ranft. Leben der Gottesgelehrten. S. 198.

D. SALOMO DRYLENGIUS natus est d. 14. Sept. a. 1677.

Weidae in Voigtlandiae regione ex parentibus inopia pressis. Pater quidem, coctor cereuisiae, qui Lengefeldiam se contulerat, filium hunc Scholae Zwickauiensis tradidit erudiendum. A. 1697. Academiae Vitebergensis ciuis exstitit, vbi primo auctore Vatero, medico illustri, medicae arti operam dabat. Postea vero Theologiae studio incumbere coepit, auxilio Schurzfleischii adiutus. Vitebergae a. 1703. ordini philosophorum adiunctus, a. 1708. sacris apud Pegauienles est praefectus, cum antea iam a. 1705. Diaconi Plauiensis munus administrare coepisset. A. 1720. munus summi sacrorum antistitis in Islebiae regione suscepit. Et anno iam sequenti Lipsiae sacris praeesse coepit. Quod honorificum munus postquam cum pluribus aliis honoribus magna virtutis et eruditionis gloria ornauerat, a. 1755. d. 5. Aug. decessit.

Vid. Göttens gelehrtes Europa. Theil 2. T. 33. Bruders BilderSaal. Abtheilung Fortsetzung von Höfers Gelehrten = Veric.

D. SIMON GEDICCVS. Wurzenae hunc genuit ao. 1551. Tiburtius Gedicus, ciuis eiusdem vrbis. Filius literarum causa in Academiam Lipsiensem concesserat, vbi a. 1574. sacerdotis munere ad St. Iohannis aedem, et prouincia simul Hebraeam docendi linguam est ornatus. Cum iam inde ab anno 1576. concionatoris pomeridiani officia ad St. Thomae aedem obiisset, euocatus est Halam Saxonum ao. 1582. concionatoris aulici dignitate. Postea Coloniam, ad Sueuum flumen sitam, delatus primo concionatoris in aula principis Electoris et consilii sacri senatoris munere functus, deinde a. 1600. ibidem ad templum cathedrale sacris est praepositus. Quo quidem munere a. 1614. sub impe-

rio Ioan. Sigismundi principis Electoris ei abrogato, Ioannes Georgius I. Saxoniae princeps Elector eidem a. 1615. primariam sacrorum apud Misenenfes tradidit praefecturam. Inde tandem a. 1616. Merseburgum euocatus est, vt sacrorum antistes ad templum episcopale officiorum diligentia et assiduitate celebraretur; vbi etiam diem obiit supremum d. 5. Octbr. a. 1631.

Vid. Diem. l. c. B. 4. S. 874. Schöttgen l. c. S. 404. Zibichs Leben Merseburger Stifts-Superintendent, S. 159. Seidels Bildersaal, um Brandenburg wohlverd. Männer.

M. ANDREAS GORMANNVS natus Vitebergae a. 1639. patre vsus est Ioanne G. castrorum metatore in Imperatoris Germanorum exercitu. A. 1663. sacerdotis munus Schoenae est auspiciatus. A. 1673. Pastoris dignitate Pretinum se contulit, et a. 1688. summus sacrorum apud Seydenses electus est antistes. Quo quidem honore gaudens a. 1714. muneris sacri, per quinquaginta annos administrati, diem festum celebrauit et a. 1719. in viuis esse desit.

Vid. Diem. l. c. 4. B. S. 700.

DANIEL GRESERVS natus est a. 1708. d. 6. Dec. Weilburgi, vrbe in Comitatu Nassouio-Weilburgensi sita, ex patre Conrado Gresero, sutore. Ingenio pluribus locis literarum studiis exulto, a. 1726. Moguntiae ornatus dignitate Diaconi et Presbyteri, primo Edelsbergae prope Weilburgum fecit sacra, ibique in Erhardi Schnepfii amicitiam sese infinuauit. Deinde hunc Theologum illustrem Marburgum profecutus, literis ibidem incumbere pergebat. Administrato autem per decem annos munere Pastoris Giessensis, tandem a 1742. euocatus est Dresdam, vt ibidem sacris praesesset. In quo munere gratia Augusti principis Electoris diu gauisus decessit d. 29. Sept. a. 1791.

Vid. Stehebolds Historie D. Gresers. Dresden. 1678. 4to. Eine Lebensbeschreibung von ihm selbst herausgegeben. Dresd. 1784. 4. Schlegels Lebensbeschreibung, der Dresdner Superintendent.

D. IOANNES GODOFREDVS HERMANNVS natus in Iesnithi veteris pago d. 12. Octbr. a. 1707. patre M. Godofredo

Hermanno. Qui filium erudiendum Scholae prouinciali tradidit Grimmeni, vnde quinquennio peracto in Academiam Lipsiensem se contulit, in qua iam ao. 1730. literas docere coeperat. Eodem ao. creatus est Diaconus Ranisensis, et a. 1734. eiusdem nominis munus obiit Pegauiae. Euocatus autem a. 1737. Amstelodamum a coetu sacro asseclarum religionis a Luthero emendatae, iam ibi sacram habuerat concionem, vt sui cognoscendi occasionem huic coetui praeberet, cum munere summi sacrorum apud Plauieses antistitis ornaretur. Ao. autem 1746. Dresdae eligebatur aulicus concionator dignitate primus, quod munus vsque ad mortem, qua a. 1791. viuis est ereptus, non sine multa laude ornauit.

Vid. Diem, l. c. B, 1, S. 15.

M. CHRISTIANVS HAYMANNVS natus Langhennersdorpii a. 1709. ex patre Christiano Henrico H. illius loci sacerdote. A. 1720. Gymnasium Fribergense frequentare coepit, et ao. 1727. Academiam Lipsiensem, deinde adiunctus est Archidiacono Frankenbergensi A. 1732. in munere administrando socius. A. 1737. Diaconi et praeceptoris extraordinarii dignitate in Scholam Portensem se contulit. Ao. 1748. munere summi sacrorum antistitis Glauchauiae ornatus et ao. 1757. ad eundem honorem obtinendum Misniam est delatus, vbi ao. 1783. moriebatur.

Vid. Dietmanns Kirchen- und Schulengeschichte der Gräfl. Schönburgischen Lande, 1787. Lips. p. 76. Abtheilung. l. c.

D. THEOPHILVS IAHN natus ao. 1680. Leisnici, patre Georgio Iahno, sutore, qui eum, aliquamdiu in patria institutum, ao. 1696. in Scholam Torgauensem, opibus maxime destitutum, emisit. A. 1700. ciuibus academicis Vitebergae adscriptus, multorum fruebatur beneficiis, imprimis a Wichmannshausio professore largiter ei imperuitis. Prae caeteris doctore utebatur Theodosio Lehmanno. Cumque anno 1708. sacerdos Schoenerstadii electus esset, a. 1712. Pastoris dignitate Mohor-

num in Dioecesi Fribergensi situm, et eadem functurus a. 1716. Ortrandiam se contulit. Tandem a. 1732. summi sacrorum antistitis munus Zahnae suscepit, ibique senio confectus obiit a. 1760.

Vid. Dietm. l. c. B. 4. S. 787. Adlung l. c. Ranst. l. c.

M. IOANNES IENTSCHIVS Muggelliae natus, d. 2. Ian. ao. 1585. patrem habuit senatorem. Missus ao. 1599. in Scholam prouincialem, quae Grimmae floret, peracto ibi quinquennio, ao. 1604. Vitebergam migravit. Ao. 1611. a libere Barone de Kollonitsch eligebatur concionator aulicus Viennae. Neque ita multo post sacerdotium iniiit Idenspoyense, vnde Pofonium ad simile munus est euocatus ao. 1616. Quamuis igitur magna cum integritatis laude sacra fecisset, tamen ao. 1635. inde Vratislauriam secedere coactus, a. 1636. patriae suae urbem Ossitium repetiit. Ex eadem vrbe quidem propter grassantem morbi contagionem Fribergam aufugiens, tamen mox honore sacrorum antistitis inter Ossitienses est ornatus. Quo loco mortuus est d. 12. Ian. 1662.

Vid. Dietm. l. c. B. 1. S. 843. Frenkelius l. c. p. 225.

D. ANDREAS KVEHNIVS Dresdae natus a. 1624. patre vsus est Luca Kuehnio, mercatore. Scientiam literarum necessariam Vitebergae et Argentorati consecutus a. 1650. adiit Herzbergam summus sacrorum antistes designatus. Quod idem munus etiam a. 1660. Bischofswerdae adeptus est, et a. 1675. Annabergae administravit. Tandem ao. 1684. Pastor ad aedem St. Mariae et Senior inter sacrorum ministros Dantisci est electus, vbi decessit a. 1702.

Vid. Dietm. l. c. B. 1. S. 1457. Richters Annaberg. Chronik. Th. 2. S. 76.

D. ERHARDVS LAVTERBACH, natus est Iaurauiae in Silesia a patre Ioanne L. eiusdem loci sacerdote. In prima iam

iuuentute sacris destinatus faciendis, vtroque tamen parente aetatis annum agens decimum orbatus erat. Anno aetatis XVIIimo in vtroque Gymnasio Vratislaviae literas discere coepit, cumque quinquennio exacto addiscendae aurificis arti destinaretur, Lipsiae Academiam tamen a. 1591. adire maluit. Ao. 1594. inter Academiae doctores literas profiteri coepit, sedula orationum sacrarum lectione delectatus et a. 1598. Conrector Scholae Thomanae electus est. A. 1602. Zizam se contulit, Pastoris munere ad aedem St. Michaelis functurus, vbi a. 1603. sacris ad templum episcopale praesse coepit. A. 1610 Christianum II. principem Saxoniae Electorem Pragam comitabatur, IV menses ibi comoratus. Tandem a. 1649. e vita discessit, vir morum humanitate et pacis studio insignis, sicut etiam patientiae vero Christi affecta dignissimae exemplum morbo oppressus diuturno praeclarum ediderat.

Vid. Witte in diario biograph. ad h. a.
Dietm. I. c. B. 5. S. 108.

D. CHRISTIANVS LEHMANNVS natus est Scheibenbergae ao. 1642. d. 2. Febr. vbi pater eius Christ. Lehm. (qui librum notissimum: *Obererzgebirgischer Schauplatz* inscriptum, ediderat) etiam quinquaginta annis sacrorum gesserat curam. Hic eius filius cum fratribus suis, cum arcta domi res esset, primo ad Academiae studia adspirare non posse videbatur; tamen annos natus XIV. Scholam Chemnitiensem frequentare coepit. Unde transgressus Lipsiam Scholae Thomanae discipulis interfuit, vbi per quatuor annos partim musicam, partim literas humaniores tractabat. Quo spatio temporis praeterlapso a. 1663. ciuibus academicis est adnumeratus. Decessit vero Vitebergam ao. 1666. eique deinde Magistri dignitate ornato, a summo sacrorum inter Misenenfes antistite, Zimmermanno, bibliothecae eius et librorum varie excerptorum cura est commissa. Socius muneris administrandi ao. 1668. patri adiunctus, paullo post a. 1675. Diaconi, et ao. 1679. Archidiaconi munus Annabergae est

consecutus. Ibidem vero a. 1685. honore summi sacrorum antistitis ornatus, ad idem munus Fribergae suscipiendum a. 1697. inuitabatur. Quo consilio Vitebergae summos in Theologia honores sibi conferendos curauit et tandem defunctus est d. 28. Octbr. a. 1723. annum agens aetatis LXXXmum. Vir ille modestus et integer, aliquo interdum animi pauore captus ab omnibus vitiis longe abhorrebat, atque semper verae pietatis manserat studiosus. Variis quidem fatis et casibus, quos ei Deus immiserat, vita eius insignis fuit. Praeter alias artes Mathesin inprimis, Musicam et Poeticam amauit, et poematum pangendorum dexteritatem carmine illo de coniuge mortua confecto fatis omnibus probauit. Ex illa enim IX liberos genuerat. Quamobrem iure meritoque se ipsum appellare potuit: Prole pia diuitem. De filio Theodosio natu maiore constat, eum Vitebergae professorem Poeseos fuisse celebratum. Alter eius filius natu minor, quem ipsi colimus abauum generis nostri, consularum ornauit Fribergensem et dissertationem edidit: De officio Superintendentium in Saxonia. Duas filias duobus Theologis Dresdae celeberrimis Ioan. Christiano Hillero, et Paulo Christiano Hilschero in matrimonium collocauit. Tertia vero nupsit Wilischio, viro illi eruditionis laude praeclaro, qui in munere eum excipiebat.

Vid. Grabeners göttliche Führungen D. Lehmanns aus desselben Leichenpredigten. Dresden 1720. 4to. Rauff. l. c. S. 580. Wilisch Freiberger Kirchengeschichte Th. 2. S. 46. Molleri vita Chr. Lehmanni. Friberg. 1724. fol. Samuel Bernhard Kühn. Leichenpredigten und Lebensbeschreibung ebendess. 1723. Diem. l. c. B. I. S. 392

D. CASPARVS LOESCHERVS natus est d. 28. Maii a. 1636. Werdae in Voigtlandiae regione. Patre Martino L. eius oppidi la-
nio, praematura morte est orbatus. Institutus aliquamdiu in Schola patria Scholam Numburgi vrbs frequentare coepit. A. 1656. in Academia Lipsiensi literarum studia continuauit, vnde a. 1667. Sondershusam Pastoris primarii et sacrorum antistitis dignitate est euocatus. Deinde a. 1676. Erfurti ad templum, concionibus sacris destinatum, concionator et Gymnasii inspector est desig-

natus. Sed a. 1679. munere Pastoris et antistitis sacrorum apud Zwickauenses ornatus, cum Dantiscum, quo inuitabatur, adire recufasset, ao. 1687. summus sacrorum antistes, consilii sacri senator, ac professor Theologiae Vitebergae est electus. Obiit tandem d. ii. Julii a. 1718.

D. VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS, natus d. 8. Ian. a. 1673. siue d. 28. Decembr. a. 1672. Sondershusae, illo patre, quem modo descripsimus, vtebatur. Ab eo annum agens aetatis XII. Zwickauiae institutioni Christiani Daumii, Rectoris Scholae celeberrimi, est commissus. Postea industriae laude insignis anno aetatis XVIImo in Academiam Vitebergensem se contulit, vbi publice literas tradere ac scripta edere coepit. Ao. 1694. Vniuersitatem literarum Ienensem adiit, et paulo post Vitebergam regressus, iter suscepit in Belgium aliasque regiones peregrinas, sub anni finem vero Vitebergam redux factus literis publice docendis, instituendis disputationibus, atque scriptis elaborandis se exercere perrexit. Sub finem anni 1698. Iutrebocensis antistes sacrorum est electus, et inde anno 1702. Delicium eodem munere ornatus discessit. Ao. 1707. professoris Theologiae ordinarii dignitate Vitebergam reuocabatur; vbi ei ao. 1709. Pastoris ad aedem sanctae crucis, in consilio sacro senatoris, et summi sacrorum antistitis munera Dresdae sunt delata, quae maxima cum cura administrauit. Mortuus est anno 1749. d. 8. Febr.

Vid. Göttens gelehrtes Europa, Thl. 2. S. 169.

Abelung. l. c.

M. GEORGIVS CHRISTOPHORVS MEYERVS patrem habuit Adamum Meyerum, tunc temporis Rectorem in Curiae Variscorum vrbe, postea vero Archidiaconum Schneebergensem. Gymnasio traditus Luneburgensi, anno aetatis XVIII. Lipsiae Academiam frequentare coepit. Ao. 1702. vocatus est Olsnitium Diaconi iunioris nomine, vbi ao. 1707. antistiti sa-

crorum M. Engelschallio adiutor muneris curandi est constitutus. Quo mortuo eiusdem muneris dignitatem consequeretur. Accidit autem, ut ao. 1737. sanguine ictus, brachii et femoris dextri libero motu, linguaeque usu priuaretur. Tam misero igitur vitae statu oppressus vsque ad a. 1754. vitam suam protraxit.

Vid. Diem. l. c. B. 3. S. 346.

D. IOANNES GEORGIUS MEISNERVS Vitebergae primo ao. 1655. luce frui coepit, ubi pater eius Theologiam publice profrebat, et sacris in arcibus aede faciendis erat praepositus. Depositis ibi tirocinii rudimentis Academiam adiit, ao. 1672. Francofurti ad Viadrum florentem. Transgressus autem Lipsiam ao. 1678. Argentoratum inde petiit, Basileam, Tubingam, Giesam, Hafniam, Lugdunum Batavorum, et Regiomontium. Quo itinere eruditionis augendae causa confecto, Vitebergae inter Academiae doctores publice docere coepit, et ao. 1683. ordini Philosophorum est adiunctus. Deinde Pastoris munus Schmiedeburgae suscepit, et ao. 1684. sacris Schliebenae est praepositus. Denique e vita discessit, ao. 1740. d. 8. Novbr. inter ceteros sua aetate sacrorum in Saxonia ministros, cum quinquaginta amplius annis munus sacrum administrasset, quam diutissime eodem functus.

Vid. Diem. l. c. B. 4. S. 632, 684. Kauf. l. c. S. 650.

WOLFGANGVS MOESELIVS, Plauiae natus ao. 1497. ad sacra facienda primum ao. 1521. Bokauiae prope Zwickauiam eligebatur, et ao. 1539. Weydam ad idem munus suscipiendum inuitatus, ibidem ao. 1551. sacrorum antistitis honore ornabatur. Obiit d. 2. April. a. 1575.

Vid. Diem. l. c. B. 3. S. 1234.

IOANNES CAROLVS OERTELIVS, in lucem editus Martisburgi, ao. 1724. Pastoris munus primo Michellini prope

Muelfenum siti, adeptus, eodem anno fecius Pastori, qui sacris Lichtensteinii praeerat, adiunctus sacra simul Alrenbergae administrare coepit. Anno 1733. ipso Pastoris et Inspectoris munere est ornatus. Quo quidem viro, quem auum ipsi veneramur optime de nobis meritum, ao. 1775. d. 18. Aprilis mortuo, haec Inspectoris dignitas Lichtensteinii est sublata. Librum ille edidit, iuuentuti in literis sacris instituendae destinatum, variaque composuit carmina sacra, quae reperies in collectione hymnorum sacrorum Schoenburgensi. Quamquam cognitione gaudebat eruditionis plena, arcanam tamen libros sacros interpretandi rationem adamabat.

Vid. Diern. Schönburgische Kirchen- und Schulen- Geschichte. p. 230.

D. IOANNES PEEFFINGERVS e nobili genere oriundus erat Aquaeburgi in Palatinatu superiori. Initio quidem sacerdotis munere Passaviae administrato, patriam relinquens Vitebergam se contulit, vt D. Lutheri consuetudine vteretur. Euocatus inde Sonnewaldam ad Pastoris munus obeundum, eo loco cum ao. 1530. cedere cogereetur, Ioannes Fredericus, princeps Saxoniae Elector, eundem honorem Eichae prope Nauenhofium ei tradidit; vnde Belgoram Pastoris dignitate migrabat. Anno 1539. Lipsiae ad aedem S. Nicolao dicatam Pastor electus, ibidem ao. sequenti ab Henrico pio, principe, summus sacrorum antistes est designatus. Anno autem 1543. Theologiam publice profiteri incipiens, decemuir Academiae creatus et inter socios Collegii episcopalis Misenaeflorentis est receptus. Defunctus est ao. 1573, sub ipsius anni initium, cum per octoginta annos vixisset.

Vid. Diern. sächss. Priester. B. 2. S. 130. Adami in vitis Theol. German. p. 221. Bogels Leipziger Annalen. Franke in theatro viror. eruditor. pag. 232. Boissardi Icones viror. illustr. P. IV, p. 73. Hofmanns Reformationshist. der Stadt Leipzig. S. 382. Wirtschs, dreyfachen Interim. S. 148. Schröckhs Abbild. und Lebensbeschreibungen berühmter Gelehrten. S. 2. S. 169. D. Sacerdotii, vita Pfeffingeri, profoceri sui. Lipsiae. 1573. 4.

D. ELIAS REHEBOLDVS, natus ao. 1623. Torgauiae, patre utebatur Elia R. qui eiusdem vrbs medicus erat celebrissimus. Filius hic anno 1640. Academiam Vitebergensem frequentare coepit. Deinde variis itineribus in peregrinas regiones susceptis, in patriam redux factus, ao. 1654. sacris praefectus est inter Chemnitenses. Ornatus autem ao. 1661. honore summi sacrorum antistitis Offitii, ao. 1722. mortuus est, aetatis agens LXXXIX.

Vid. Dietm. l. c. B. I. S. 848. Frenkel l. c. S. 247. Raufe l. c. S. 1015.

M. DANIEL REICHARDVS Offitii d. 19. Novb. ao. 1784. a patre genitus est, qui eiusdem vrbs consulum tenebat. In Schola prouinciali, quae Misenaefloret, in humanioribus literis institutus, Academiam adiit Vitebergensem. Ao. 1601. creatus est Dohnae Diaconus. Ao. 1604. Pastor Wachauiae et postea ao. 1613. Dresdae sacerdos ad aedem sanctae crucis est electus, donec euocaretur ao. 1615. Rochlitium, vt sacris ibi praefectus. A. 1622. vero sacrorum antistes Pirnam se contulit, quo munere per XXX fere annos administrato ao. 1652. vitam cum morte commutauit.

Vid. Dietm. l. c. B. I. S. 1045. Wilschius, Memoriae Superintend. Pirnaens.

D. BALTHASAR SARTORIUS, Offitii natus ao. 1534. annum agens XVI. adiit Vitebergam, vbi Melanchthonis doctrina et familiaritate ita est captus, vt eius praeceptis per totam vitam fidem haberet. Quinquennio ibi transacto Lipsiam profectus, sacerdotis et praeceptoris dignitate in Schola Portensi est ornatus. Mox vero ei iuuenum principum Frederici Guilielmi, et Ioannis, in aula ducis Saxoniae Ioannis Guilielmi, instituentium cura, et aulici concionatoris munus committetur. Deinde professoris munere functus est Ienae. Anno 1588.

C

antistitis sacrorum apud Misenenfes honore est ornatus, auxilio adiutus Caluini aſſeclarum. Sed nimio fauore iis indulgens, Chriſtiano I. mortuo, munere ao. 1592. priuabatur. Clementia tamen Frederici Guilielmi, qui tutor iuuenis principis erat, et ab eo quondam fuerat inſtitutus, Lipſiam mittebatur, vbi locus extra ordinem, inter Academiae profeſſores et inter Collegii maioris principalis ſodales ei concedebatur. Illa vitae conditione vtens ao. 1609. eſt mortuus.

Vid. Dietm. l. c. B. I. S. 743. Frenſel l. c. S. 66. Franke l. c. p. 353.

D. CHRISTOPHORVS DANIEL SCHREITERVS natus eſt d. 5. Dec. ao. 1624. Wurzenae, patre D. Ioanne Schreitero, qui praeerat ſacris ad templum eiusdem loci epiſcopale, et iam d. 21. Febr. ao. 1638 moriebatur. Filius eius eodem anno Gymnaſium Halenſe frequentare coepit, et inde ao. 1643. Vitebergam profectus, primo iuris ſcientiae operam dabat, poſtea tamen Theologiae ſtudio incubuit, et ao. 1647. Helmſtadium ſe contulit. Transgreſſus inde Lipſiam, paullo poſt in comitatu Calouii, doctore celeberrimi, Academiam Vitebergae florentem adiit, vbi ao. 1651. Magiſtri dignitate eſt ornatus, et locum inter Academiae doctores diſputando ſibi parauit. Sacra vero concio, quam in itinere, Miſniam ſuſcepto, Wurzenae hoſpitio exceptus habebat, tantam ei conciliauit laudem, vt ibidem ao. 1657. ſacrorum antiſtes crearetur. Deceſſit tandem d. 27. Octb. ao. 1714.

Vid. Dietm. l. c. B. 5. S. 632. Ranſt. l. c. S. 1098.

D. GOTTLÖB STOLZIUS natus eſt anno 1668. d. 23. Ian. Pirnae, vbi pater eius Scholae erat Conrector. Studia literarum continuauit Vitebergae, in qua literarum vniuerſitate ſaepe diſputationes publice habuit; quare ſummis Philoſophiae honoribus ornatus, ordini Philoſophorum adiungebatur. Ao.

1694. Pastoris et sacrorum antistitis dignitate Waldenburgum se contulit, et ao. 1712. Pastor primarius Luckauiae in Lusatia inferiori electus est. Ao. 1716. ei deferebatur munus Pastoris primarii et consilii sacri senatoris Lubbenae, vbi summus sacrorum antistes in Lusatia inferiori, vsque ad vltimum vitae annum, 1746. celebrabatur.

Vid. Diem. Schönburgische Kirchen- und Schulengeschichte. S. 192.

D. GEORGIVS LEBERECHE WILKIVS natus est Misena, ao. 1666. d. 9. Iun. vbi eius pater Scholae praeerat provinciali, ex qua filium in Lipsiae Academiam misit. Ao. 1695. euocatus est, Archidiaconi dignitate, Wurzenam, vnde officii Pastoris primarii et sacrorum antistitis functurus Herzbergam se conferebat. Anno 1700 autem honorem adsecutus est summi sacrorum antistitis apud Misenenfes, vbi ao. 1757. in viuus esse desit.

Vid. Diem. sächs. Priefstersch. B. I. S. 719.

M. CHRISTIANVS WILLIVS ortus in Schmalcaldiae vrbe, initio munere fungebatur concionatoris aulici Dresdae, postea vero a Collegio senatus sacri supremo antistes sacrorum in Colditii vrbe est creatus, vbi antea iam extra ordinem Diaconi officia administrarat. Illo vero honore per XXXVIII. fere annos ornatus obiit a. 1669. cum doctrinam diuinam vsque ad annum aetatis octogesimum quartum per LII annos adnunciaffet.

Vid. Reiseniger und Goldiger Chronik. von Kamprad. S. 543.

CASPARVS ZEYNERVS in lucem editus Fribergae ao. 1492. sacris faciendis ao. 1516. sollempni ritu est consecratus, quo facto primum Ebersdorpium in regione Chemnitii, et postea etiam Commothauiae in Bohemia sacris Pontificiorum est ope-

ratus. Anno 1521. primus praeco religionis a Luthero emendatae Trebsenum prope Grimmam migrabat, vbi matrimonio inito iure meritoque inter primos sacerdotes, qui vxorem sibi duxerint, adnumerari potest. Ao. 1539. Fribergam euocatus est, vt ibi Pastoris munere fungeretur, et sacris praeesset in Diocesi tunc temporis modo constituta. Quare etiam primus Superintendens, vt nostra aetate appellari solent, in illa regione habetur. Obiit annum aetatis agens LXXVI.

Molleri theatr. Friberg. P. I. p. 231.

Dietm. I. c. I D. S. 381. Wilsch. Freiburger Kirchenhistorie, Th. 2. S. 9. Seckendorf. L. III. p. 57. I. I. p. 72. in Comm. de Lutheran.

AB 153118

ULB Halle 3
004 076 125



TA-OL

R





BREVIS NARRATIO

DE ANTISTIBVS, QVI QVINQVAGINTA ANNORVM SPATIO
IN SAXONIA MVNERIBVS SACRIS FVNGEBANTVR,

QVA

VIRO SVMME REVERENDO AMPLISSIMO
EXCELLENTISSIMO
M. IOANNI THEODORO
LINGKIO

SACRORVM ANTISTITI TORGAVIENSI ET
EPHORO LYCEI SPECTATISSIMO

M V N V S

SACRVM PER QVINQVAGINTA ANNOS
FELICITER ADMINISTRATVM

TRES ORDINES
LYCEI TORGAVIENSIS SVPERIORES,

PIE GRATVLANTVR

INTERPRETE

HENRICO AVGVSTO IAHN

FRIBERGENSEI.

TORGAVIAE

EX OFFICINA KVRZII.

